

Mentis lumine recolantur illæ, quas cunctis humani generis miseriis et calamitatibus opem latus Deus scripto Moysi dedit, leges: nulla sane reperietur, quæ pravos naturæ appetitus non contrahat, indomitam licentiam non refrænet, elatam iracundiam non teneat, effrænem avaritiam non coerceat, cæterasque animi labes non repellat, non contundat, non dejiciat. Pervolutentur vel cursim, per me licet, omnes, qui Spiritu Sancto afflante, à Salomone scripti sunt, libri: nullus sane reperietur, qui fœdera dissitarum nationum sanctiora non efficiat; qui conjugum nodos arctius non obstringat; qui parentum in liberos potestatem intra justos fines non coerceat; qui senum vitam et dignitatem non tueatur; qui adolescentum demum cupiditatibus fræna non injiciat. Intentis oculis collustrentur universæ libri Ecclesiastici paginæ, sigillo revelationis munitæ, per me non stat, quominus ab iis naturæ propugnatoribus serio et diligenter perpendantur illæ veri et honesti, justi et injusti in universo volumine disseminatæ regulæ, ad quas omnes adeo natura ducimur, ut homines tum privati, tum principes perpetuo ipsis adhærerent, nisi à vitiis pravisque cupiditatibus abstraherentur.

¶ Quem terrorem sacrorum Vatum voces minæque injiciunt iis, qui tumultum societatis excitant; qui dominatum summum occupare intendunt; qui in honorum

cupiditatem incident; qui parricidio, adulterio, nefandaque impudicitia se inquinant; bellum injustum movent, rem alienam occupant, et aliis vel inimicis gentibus damnum inferunt?

Sed me repente, A. A., de hoc mirifico legis divinæ revelatæ ac naturalis concentu dicentem, et plura adhuc è novo Testamento gravissima argumenta deprompta parantem, unius loci aspectus in ipso cursu orationis repressit. Totius juris naturæ fundamentum, ordinisque moralis summam his paucis mundi servator comprehendit verbis (41): “Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua; hoc est maximum et primum mandatum; secundum autem simile huic, diliges proximum tuum sicut te ipsum; in his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ (42).”

Cum tam accurata, et brevi disserendi ratione Christum officiorum principium et originem definientem ausculto, vix me continere possum, quin toto impetu ferar adversus recentes juris naturalis cultores, qui post Novi, et Veteris Testamenti apertissimam lucem, in inquirendo aliquo cunctarum obligationum à superna revelatione disjuncto principio, omnes ingenii vires atque operam inutiliter collocarunt. Quid enim ad juris naturæ decus et laudem potest esse præstantius, quam totum hominem rationis compotem hac disciplinâ dirigi, hujusque observantiæ summam, et cumulatam beati-

tatem post lethum duraturam adscribere? Puffendorfius (43) tamen hanc disciplinam circa externas tantum hominis actiones versari, ipsiusque finem ambitu præsentis vitæ concludi perperam asseverat. Quid enim ad hanc egregiam institutionem nativo decore suo explianandam potest esse congruentius, quam naturæ scita ex ablegandis Epicuri principiis efflagitare, et disciplinam propriæ felicitati adipiscendæ accommodatam tantum finire? Volffius (44) tamen hanc sententiam potiundis voluptatibus congruentem, ambagibus licet circumfusam constanter serioque defendit. Quid divino fulgore humanæ naturæ insito magis oppositum, quam actiones in animi excellentis magnitudine conceptas, et fortitudinis decore ac præstantia patratas, intrinsicæ honestatis vel turpitudinis expertes agnoscere? Heineccius (45) tamen verbis ad fucum faciendum religionis speciem præ se ferentibus temere et affirmate id dicere non erubuit. Quid autem egregiis humanæ naturæ donis potest esse exitiosius, quam universas ejus leges in his tantum complecti, quæ ad vitam diuturnam feliciter in terris traducendam maxime conferre possunt? Thomasius (46) tamen eos, qui mortem Deo gratissimam oppetere, potius maluerunt, quam ejus transgredi præcepta, reos violati juris naturæ ficte, et simulate non ille quidem expressis verbis, sed implicite, declarat. Quid demum ad legum humanarum divinarumque auctoritatem fun-

ditus evertendam accommodatius, quam nobilissimum hominis scopum, et Supremo suo Conditore dignum, et præstanti sue naturæ consentaneum, et intus animis insculptum, in hac externa hominum conjunctione, quæ socialitatis nomine consignata imbecillia et commutabilia fortunæ bona promovet, constituere? Puffendorfius (47) tamen ejusque asseclæ tum Galli (48) tum Hispani (49) (quod absque lachrymis dicere vix queo) hanc sententiam variis modis, diversisque artibus conditam his calamitosis temporibus fuerunt amplexi.

¶ Quousque? (asperitas enim contentionis adeo acris et magna est, ut oratoris humanitate vix temperari queat). ¶ Quousque apud nostrates dicere licebit, ideo illud satis honestatis legibus esse consentaneum, quod singulis, et societati utile sit ac proficuum? Quousque nobis, societatis decorem et gloriam expertentibus, ipsius opes et divitiæ absque morum cultura utiles et proficuae sunt visuræ? Quousque sententiam Curionis (50), causam Transpadanorum æquam esse ducentis, illa tamen sibi et aliis pergrata verba, *Vincat utilitas, utilitas vincat*, reponentis, nos Hispani sumus amplexuri? Quid igitur? Qui omnia recta et honesta negligunt, dummodo, quod illis magnopere societatis commodo conferre videtur, prosequantur, acerrimi societatis hostes non sunt habendi? Quid est, quod saluti et incolumenti societatis afferre tantum utilitas ista, quæ dicitur, possit,



quantum auferre, si bene morati civis nomen eripuerit, fidem justitiamque detraxerit?

Sed quantum jacturæ ac detrimenti societati attulerint qui hanc opinionem retinuerunt, dicam quod sentio, et dicam brevius, quam res tanta dici potest. Bonum enim commune et mutuis, et benevolis civium officiis constitutum cunctorum officiorum originem et fulcrum exstisset, ac extare semper sibi probantes recentes Puffendorfii asseclæ bonos equidem et integros mores deformarent, summamque principum majestatem everterent, si hujusmodi vestigiis reliqui omnes institissent. Quæ duo, pluribus aliis omissis, quæ contra afferri possunt, expendenda mihi propono.

Cum bonum societatis quoquomodo illis videatur, ad externa tantum extendere se posse confiteri teneantur, mancum, et imperfectum jus naturale illis erit soli foro externo accommodatum, et ad occulta sive cordis abdita facinora minime protendendum.

Quod quidem cum ita sit, evanuit profecto illa lex quæ impios, pravosque animos in occultas scelerum transgresiones defluentes erat persequutura. Extinctus etiam fuit ille divinitatis fulgor, qui hominum mentes tot errorum densissimis nubibus obductas illustravit; actumque est jam de absoluto juris naturalis systemate, à quo vel ipso Leibnitio (51) teste leges internæ separari nequeunt.

¶Omnem vero principum quamvis firmissimam sedem titubare , si his principiis incauta juventus adhæreat, quis nostrum non videt? Cuncti enim, qui depravata sua natura ducti , quidquid felicitatem redoleat, avide persequuntur , cum illam , quæcumque sit, veram ac propriam societati adscribere cogantur: quænam in tanto opinionum discrimine vera erit felicitas?

Neque vos diffiteri potestis , qui de restaurata Ethica et religione gloriamini, si naturam vestram corruptam consulitis, nullam aliam societatis felicitatem, nullum aliud bonum detecturos, quam quod uniuscujusque vestrum commodis indulget, vestrisque naturæ motibus arrideat. Ex tam multiplici tamque vario singulorum civium bono quid nobis sentiendum, quid colligendum, quid pertimescendum neminem vestrum, Auditores amplissimi, jam ignorare arbitror. Nulla moderatorum scita , nullæ magistratum leges , nulla regum auctoritas , nisi quæ singulorum naturæ commoditati congrua sunt, adimplenda. Nullus rex, nisi qui divino regendi modo (quod mortalibus non est datum) suorum voluntatem devinciat audiendus. Neque mirum videtur quod omnium principum etiam firmissimæ sedes claudicent, ipsorumque vita sæpius in discrimen adducatur, cum firmissime doceant et teneant Hispani Puffendorfi discipuli regum (52) omnium imperium ex bono

societatis (quod varium ac dubium est) non vero ex altissimo ordinis principio pendere.

Quæ quidem societatis incommoda tametsi ista magna esse fatear, ut neque fingi posse majora videantur, tamen mihi principium socialitatis præpostera philosophandi ratione apud nostrates exceptum, lectoribusque parum cautis; proh dolor! et numero plurimis gratissimum diligenter commentanti, mala et societati acerbiora, et religioni exitialia gignere, et procreare videtur. Acerbe fertis sectarum tolerantiam, quam ad pacem, et incolumentatem societatis tuendam idoneam prædicat *Philosophia*, in perniciem christianæ religionis uni veritati adhærentis redundare, ac in Antistites et Sacerdotes de religione ac de humana societate optime meritos ita debachari, ut de propria jurisdictione spolient? Spoliavit Puffendorfiana *utilitas* (53).

Condoletis nationum commercia, jura belli et legatorum ideo sigillo juris gentium obsignata, quod populi toto orbe diffusi ipsa uno animorum consensu statuerint, et crebro violari, et impune infringi? Violavit, infregit Puffendorfiana *utilitas* (54).

Lamentamini duarum potestatum civilis nimirum et ecclesiasticæ concordiam, uni rerum omnium Dominatori Deo inservientem, unum eundemque hominem diverso tamen scopo moderantem, quarum altera in co versatur, ut nobis fausta sint omnia in hoc tam exiguo

mortalis vitæ curriculo, altera vero ut nos felicitatem consequamur, immobile æternitatis tempus continentem (55)? Lamentamini, inquam, hanc arctissimam concordiam identidem effringi et sæpius dirumpi? Effregit, et dirupit Puffendorfiana *utilitas* (56).

¶ Ingemiscit sine homines Deo votorum sponzionibus obligatos, vitamque cœlestium rerum contemplationi adictam degentes, et virgines, quæ sub strictiori cœnobiorum regula præclaris illibatae vitæ exemplis Ecclesiam exornant, inter violatores juris naturæ, quatenus vitam solitariam societati inutilem traducunt, reponi ac recenseri? Reposuit ac recensuit Puffendorfiana *utilitas* (57).

¶ Lugetisne oblectationes et ludos pravis nefandisque cupiditatibus faventes, et homines, qui impia Philosophia imbuti mortem sibi consciscere audent, hisce tamen politissimis temporibus maxime celebratos atque ad cœlos laudibus suis evectos? Evexit ac propugnavit *utilitas* Puffendorfiana (58). Aequo animo fertis..... Sed quid plura?

Jam rapidum videre mihi videor errorum gravissimorum torrentem, qui subitis imbribus tanquam præruptis aquæ montibus auctus, et maximo cum impetu ductus, omnes Hesperiæ angulos circuiens, pererrat atque vagatur; quot, qualesque; proh dolor! incautos juvenes in his à Pirineo monte decurrentibus aquis immersos totus dolore confectus animadverto. Cujus non

franget ac debilitabit animum tanta voragine, tantarumque aberrationum copia exæstuans? Quis non horreat hanc juvenum turmam his pertimescendis errorum fluctibus transvectam intueri? Alios à ripa violenter abreptos cum spumosis fluctibus diu multumque luctantes; alios, quos vehementior unda secum præcipites rapit; alios denique, quos torrentis impetus in mare, pravitate, licentia, immoderatione et petulantia exuberans, furiosum in modum dejicit.

Vos vero, Optimi adolescentes, ancipites tanta malorum ingruentium colluvie vel minimum hærere potestis? Vos, qui hoc ingentium aquarum flumen omnia erga Deum, erga alios et se ipsum officia sternere nunc metu justo examinati perspicitis, audēbitis in posterum extremum periculum in hac horrenda voragine subire? Vester in arrepto litterarum itinere assiduus strenuusque labor, vestraque, in vera sanioris Philosophiæ doctrina retinenda, contentio omnem istius horridi naufragii à me depellit timorem, nullumque hæsitationi locum relinquit. DIXI.

## N O T A E.

---

*N*um. 1. **C**um pravorum librorum infanda execrandaque lues adeo Juvenum animos invaserit, ut nonnulli istius Philosophiae lucubrationibus multiplices plausus dare crebro haud dubitent, (quos à pernicioso hoc errore abducere totius Orationis scopus fuit) maximè vero intersit, ea, quæ ad Neotericorum captiones, artes, sententiasque inter se pugnantes spectant, in apertum prodere, ne orationis liber cursus impeditur, ad calcem rejicienda censuimus.

*N*um. 2. Ea sanè, quæ ad munus Studiorum Præfecti, non solum in lucrum et gloriam Religionis, sed etiam in commodum et salutem Reipublicæ obeundum attinent. Nihil enim magis in votis habent de vera societatis civilis politia egregie meriti viri, quam ut adolescentes altissimæ Religionis disciplina erudiantur: uberes enim fructus ex hac Juvenum institutione à societate capiendos, eruditissimus La Mennais (quem Deus incolum ad Religionis bonum diu servet) et pulcherrimo sententiarum delectu, et vi et efficacia dicendi late persequitur: *Discours de l'éducation du peuple, et discours sur l'éducation publique nouveaux mélanges edit.*

*P*ar. 1826. eamdem etiam provinciam gessit vir eximio ingenii acumine prædictus, et nervosa ac ubere disserendi ratione ornatus Ferdinandus Cevallos, qui jam dudum è vivis ereptus sui egregiam memoriam adhuc ab obliuione vindicans, universæ Hispaniæ posteritati, et eximiæ doctrinæ et pietatis suæ, desiderium reliquit gratissimum. *La falsa Filosofia convencida de crimen de Estado contra los soberanos y sus regalías, tom. 1. part. 2. par. 119. Libro 3.*

*disert. de la educacion.* Tullio ergo assentiamur, salutem in-  
 columitatemque Reipublicæ quam maximè expetenti: "Quod  
 »enim, ait (*lib. 2. de Divinatione paragr. 2.*) munus Reipubl.  
 »afferre majus meliusve possumus, quam si docemus atque  
 »erudimus juventutem, his præsertim moribus ac temporibus  
 »quibus ita prolapsa est, ut omnibus opibus refrænanda ac  
 »coercenda sit?"

Núm. 3. Nostræ, inquam, tantum: illorum etenim propositum  
 ac strenuum labore pro modulo nostro prædicandi opta-  
 tam nunc tenere occasionem mihi videor, qui Bibliothecam  
 Religionis numeris omnibus absolutam in lucem proferentes,  
 aptam Hispanæ juventuti in commenta incredulorum pro-  
 labenti, his difficillimis temporibus cautionem adhibuerunt.  
 De hoc egregio ac perutili opere, quod ad Religionis emo-  
 lumentum eximii viri summo cum labore perficere student,  
 magnopere lætor, et rei Christianæ publicæ toto animo  
 gratulor.

Núm. 4. Captiones, fallacias, calliditatesque, Voltairii, Rousseavi,  
 Puffendorfii et etiam Montesquivii, aliorumve qui sub Phi-  
 losophiæ larva, ut sibi viam pandant libere cogitandi ac li-  
 berius vivendi, nova et magna jactantes, omnia ad na-  
 turam referunt, insigni peritia ac solertia discutere ac  
 extricare sibi statuit Ferdinandus Cevallos, *Disert. 11. lib. 2.*

*Disert. 6. l. 2. et de Montagn. et Encyclopedist. in res nostras  
 invectis disert. 13. disert. 4. tomo 4 y 6.*

Opus sane, quod ob doctrinæ copiam, ob rationis vim,  
 ob ingenii splendorem, ob auctoritatum delectum, ob ve-  
 ritatis, religionisque studium iterum atque iterum maximis  
 laudibus non ornare non potui.

Tantam enim hæ sane Philosophiæ fulgore elaboratæ  
 lucubrations apud sapientes Hispanos obtinuerunt æsti-

mationem, ut post copiosam Matritensem editionem fere nullum exemplar inveniatur. Satis equidem mirari non queo quod homo in loco longe à Galliarum natione dissito vitam agens, solitudini perpetuae vacans, à negotiis publicis semotus, doctrinæque illo excellenti, quo præstabat, ingenio totus deditus, universam Galliæ dissensionem animo cerneret, ac prospiceret. Cum his ergo strenuis Religionis propugnatoribus de societate et Religione benemeritis noster Cevallos in honoris contentionem incidere mihi semper visus est. Diligenter perpende integrum art. 2, diss. 10, t. 5, et nuncupationem, seu, ut ajunt, epistolam dedicatoriam Illmo. D. D. Petro Rodriguez de Campomanes.

Núm. 5. Vos, qui gregi Protestantium nomen daturi Sanctos Ecclesiæ Patres, ingenio, virtute ac studio plurimum valentes, à disciplina morum ablegandos arbitramini, Tullium de fortissimorum ac clarissimorum hominum dignitate, scientia, et gloria dicentem auscultate: "Nunquam audivi in schola Epicuri Licurgum, Solonem, Miltiadem, Themistoclem, Epaminondam nominari (2. de fin.)."

Núm. 6. Thomasius lib. 1, cap. 2, paragr. 125.

Núm. 7. Heineccius in præfat. juris nat. et gentium cap. 1. paragr. 16.

Núm. 8. Quam dudum Heineccius à vero Ecclesiæ sensu alienus Hispanis visus fuerit, vel castigationes ipsius institutionis, in prima editione Matriti factæ, plane aperteque demonstrant: sic se habet nota in calee parag. 16. subiecta. (Edit. Matrit. 1776, parag. 18.) "Sæpius revelationem omnem à juris naturæ doctrina remotam vides ab his auctoribus, nequid scilicet obstaculi loco sit, quominus ea, quæ lubent, proferant: quo profecto nihil est ad quoslibet

»procudendos errores accommodatius, ut funesta nimis experientia constat." Hæc in edit. Matriti an. 1822 desiderantur, quod attentis illis temporibus non est valde mirandum.

Audiatur etiam Cevallos Heinecc. et Puff. insectans. "Su principal trabajo y mérito ha consistido en evitar parecerse á los Doctores Eclesiásticos, imitando á los Escritores Paganos. En el método y mas en el estilo han procurado llegarse á todos aquellos escritores antiguos que no tuvieron Religion, ni estimaron conocer á Dios. Así tratan de la naturaleza y de su derecho como si no dependiera del decreto del Criador y de su institucion." *Disert. 6, tomo 5.*

Núm. 9. *Puffendorf. De disciplina juris nat. cap. 1. númer. 2, paragraf. 169.*

Núm. 10. *Puffendorf. Serm. prælim. parag. 27.*

Núm. 11. *Hobetius de Cive, cap. 3, 4, et 17. Leviatha cap. 26.*

Núm. 12. Quantum commodi et firmitatis conferat divina Religio civili societati ab infinitis Orthodoxorum argumentis supervacaneum esse arbitror repetendum, cum ipsimet Pseudophilosophi, quamvis totis viribus hanc Religionis gloriam eripere conentur, quoties veri honestique luce oppressi se homines esse meminerunt, plane et aperte confiteantur? An non Montesquievius christianæ Religionis opera factum esse ait (*notissimis hæc historiæ monumentis comparare sibi suscipit lib. 24, cap. 3, esprit des Lois edit. Paris 1819.*) ut et in pace, et in bello temperatissima suavissimaque utamur politia, atque ut major hodie inter diversos Europæ populos atque nationes concordia sit, quam olim esset inter ipsos ejusdem imperii exercitus. Non aperte Rousseaus christianæ Religioni deberi profitetur (*pervolute-*

tur integer *Emil. append. lib. 4. Emil. pag. 242, tomo 2, edit.*  
*Paris an. 1819, quem locum, nisi longiusculum cernerem,*  
*notulæ istæ inserere haud dubitarem) quod recentiorum prin-*  
*cipum vita sit tutior, soliorum stabilitas major, imperiorum*  
*tranquilitas firmior, vitæ civilis consuetudo suavior, sedi-*  
*tiones ac bella, et minus frequentia et minus sanguinaria?*  
*Non ex litteris à Voltairio, et Encyclopedistis, et Rous-*  
*seavo consignatum cernimus earum omnium societatum*  
*atque domorum, quas hominum miseriis sublevandis desti-*  
*natas videmus altricem atque inventricem esse Christianam*  
*Religionem? Nullus pro tempore finis esset futurus, si*  
*pro rei dignitate cætera à Religione Catholica profecta socie-*  
*tatis commoda persequi vellem: adeundus præter L'Abbé Ibon*  
*Bergier et La Mennais, tomo 4 et 5 sur l'indiff. de Religion:*  
*noster Cevallos. Disert. 3, tomo 3, la falsa Filosofia, et noster*  
*Ferdinandus Valcarce, Desengaños filosóficos cap. 11, §. 3,*  
*la virtud exacta y la verdadera política no estan en contra-*  
*dicion, tomo 3.*

Núm. 13. *Emil. p. 122 et 146, t. 3 Contr. soc. 14, c. 8.*

Núm. 14. *Vol. Dict. art. toler. relig. nat.*

Núm. 15. *Bolimbrokius Volum. 5, págs. 97, 209, 356 et 493.*

Nec mihi hominem angulum doctrinæ Pseudophilosophiæ studiosum ponere nunc in gratia apud Rousseavum, et Encyclopedistas in mentem venit. Jam dudum cum his veram religionem impugnantibus sanamque Ethicam protrentibus ipsum Bolimbrokium arctissimum fœdus ferire deprehendi. Omnium enim cupiditatum turbam hunc philosophum omni fræno solvere sibi proposuisse opinor; dum polygamiam, adulterium, nefandumque crimen Græcis et Romanis quandoque licita esse perperam asseverat *Volum. 5, págs. 163, 167 et 172.*

Videant nunc æqui rerum æstimatoræ, an hæc philosophiæ doctrina crimina eluat, virtutes inferat, mores restituat, artes nobilitet, scientias illustret aurea denique sœcula revocet.

Nûm. 16. *Encyc. art. fanat. relig. n.* Omnem animi contentiōnem in profligandis ac diluendis istorum hominum ratiunculis adhibuit eruditissimus Bergier, qui plenam incredulorum facere confutationem sibi statuit. *Cap. 12, art. 1, 3, 4, 5. traité historique et dogmatique de la vrai Religion.*

Audiantur verba aurea nervosi Oratoris Mr. l'Abbé Ieon, abrégé de l'*Histoire de l'Eglise. Reflexions sur la Religion primitive*: quibus improba Pseudophilosophorum placita, ipsorumque hac de re captiones detectæ et confutatæ manent: "Ce zèle pour la Religion naturelle, qui semble être l'esprit dominant de notre siècle, va sourdement déraciner toute Religion. Que deviendroit la première sans une Loi positive émanée du ciel, qui lui sert d'appui et de suplement? Le vrai sectateur de la Religion naturelle n'est pas celui qui en prend le nom; mais bien plutôt celui qui fortifié sa foible et chancelante raison des lumières qu'il puise dans la révélation. Où brille, en effet, avec plus d'éclat la Loi naturelle, que dans l'Évangile, où elle a été pleinement incorporée? Pourroit-on citer quelque livre purement humain où le droit naturel fût aussi bien éclairci?"

Nûm. 17. *Etudes de la nature.* Quæ te causa impulit Rousseave, ut, homines Deo sacros certis numeris ac pedibus concinantes auscultans, maximos ploratus ederes? Aliquid de pristino Pseudophilosophi habitu diminuere non extimescis? Quo inconsiderato impetu te in cærimonias sacras rapi animadverto, ut in luctibus jacentem Philosopho

comiti te prodere non erubescas? Voluntatem ejus his verbis nunc excipe: *C'est le caractère d'une religion divinement inspirée de convenir parfaitement au bonheur des hommes, et aux loix précédemment établies par l'Auteur de la nature. Etudiez la nature, et vous verrez que la vertu porte avec elle sa récompense dans ce monde même.* (*Etudes de la nature, tom. 1, pag. 373 et 459.*)

Num. 18. De re manifestissima diutius disputare supervacaneum nobis esset ducendum, nisi tortuosum et implicatum Encyclopedistarum disserendi genus ab Hispana juventute crebro usurpatum (Encycl. ar. Cærem. tom. 2. p. 29.) stimulos nobis admoveret. Ritus Cæremoniasque sacras elate affirmant partem quidem illius Religionis constituere, quæ plebis propria sit, non item Philosophorum, quos istius officii immunes reddere conantur, et attentant. Aliusne (percontari ab Encyclopedistis libet) aliusne humilis conditionis genti, aliis illustri genere natis adest Deus? Alia clarissimorum sapientium, alia illitteratorum hominum propria ac genuina natura?

His capiuntur imperiti, et etiam effræna juventus cæremonias venerandas nullo loco numerare audet. Verum ut omnis Encyclopedistarum sermo hac de re omnino conticescat satis superque erit Condorcetum, de quo certe nulla potest esse suspicio, quod ipse antistitibus Ecclesiæ assentari voluerit, auscultare; religionem tamen uni populorum studio ac officio relictam omnes nervos virtutis suæ amissuram aperte prædicat. Condorcet. *Esquisse d'un tableau des progrès de l'esprit humain.*

Num. 19. Quorsum igitur tam multa tamque præclara de Catholica religione? Hominumne à vera fide alienorum disciplinam ad mores spectantem in luce etiam collocare non



præstat? Vel sua non stabunt virtutis ad omnem æternitatem impressa vestigia? Aberrare à proposito non ducimus, si hæc Pseudophilosophiæ in religionem tela paucis depellere contendimus.

Nonnullos inter veteres exstitisse Philosophos, qui solo rationis lumine absque divini magisterii subsidio de rerum naturæ primordiis, de vitæ accuratis officiis, deque summo bono, et hominis felicitate sibi sumpserunt disceptare, neutiquam diffitemur. Sed homines, ingenii sui acumine tantum freti iter difficile, et caliginosum arripientes, in graves perniciososque errores non incidere non potuerunt. Quid de Socrate dicam ab Apolline Pythio Atheniensium omnium sapientissimo appellato, qui tanti à Platone habebatur, ut gratias Deo ageret, quod Socratis temporibus fuisset natus? Quid de Seneca, magni nominis gloria in porticu clarente, qui à nonnullis inter Philosophos Christianos fuit numerandus? Gravissimis tamen aberrationibus hi apud Philosophos tam egregii viri haud immunes fuerunt: cum eos, qui, ad sese morbis vitæque miseriis liberandos, mortem sibi consiscunt, nullius esse culpæ conscientios declarant, tum etiam cum rerum omnium communitatem ita protendant, ut non solum pecunia, domus et præmia sed et matrimonia communia exstisset arbitrentur.

Hos autem cæterosque alias priscæ et recentioris ætatis Philosophos nunquam ab integra pravarum cupiditatum servitute in justam plenamque libertatem assertos, nec ad verum decus et fastigium virtutis traductos fuisse et projectos multis demonstrat M. l'Abbé, *Chanoine de l'Eglise Cathedrale de Toulon* ( Tom. 1 et 2. q. 59. et 382. *La vérité de la Religion Chrétienne prouvée à un Deiste.* ) Et maxima sapientia eruditione conjuncta hanc sententiam ex-

pludit noster Cevallos (*Disertacion 2, parte 2, tom. 3. la falsa Filosofia*). Art. 1. de la ninguna fuerza de toda la Filosofia humana para obligarnos á seguir la virtud.

Núm. 20. Nobis de recta adolescentum educatione diu multumque satagentibus maxima contentione est elaborandum, ut ad indefessam, in Philosophiae rerumque naturalium scrutandis arcanis, diligentiam, ipsorum etiam virtutis studium et profectus accedat. Hoc effatum eruditissimi La Mennais in recentiores politicos invehentis nostræ perpetuo defigamus menti. «La science a ses avantages, qui le conteste ? mais la vertu vaut encore mieux. Un Etat peut se passer aisement d'académies, d'universités; il ne se passe point de mœurs de religion, ou de moins il ne s'en passe pas long temps. La société ne vit que de devoirs: l'enseignement des devoirs forme donc toute l'éducation sociale.»

*Discours sur l'éducation du peuple.*

Núm. 21. *Encyclop. art. 1. Ame, immaterialisme. Helvet. l'esprit. disc. 1.*

Núm. 22. *Encyclop. art. incompl. Syst. de la nat. t. 1, cap. 7. Voltair. dic. phil. ame.*

Núm. 23. *Element. de la Ph. Neut. p. 1, litt. 1, sur la nature de l'ame.*

Núm. 24. *L'orig. de l'ineg. des homm. Ph. du bon. sens. hom. plan. p. 24 et 31. Essai de l'esprit.*

Núm. 25. *Essai sur les Relig. des Claud. et Neron.*

Núm. 26. De his quidem Philosophis ajebat Job, (cap. 12, v. 25.) palpabunt in tenebris, et non in luce, et errare faciet eos Dominus quasi ebrios. Nec mirum, quod isti errorum illuvie cœci, et voluptatum vino ebrii, pecudum more ad cupiditatem omnia referentes longe à regulis honestatis dissentiant. Nec mirum juxta Ciceronis effatum